

Primum est ipsius jurisjurandi contemptus atque vulpendium; notum quippe est frequentiam inducere irreverentiam, & jam pridem dictum à Tertuliano: semper abundantia contumeliosa in semetipsa est. Unde illud vulgatum S. Augustini: Ench. cap. 80. Peccata quantumvis gravia, cum in consuetudinem venerunt, aut parva aut nulla esse cre-

antur. Alterum illudque precipuum, perjuriorum multiplicium non tantum periculum, sed certa quasi sequela. Jam enim pridem observatum est, multiplicari perjuriam multiplicatis juramentis: ideoque notarunt Patres, quod licet Christus dicendo: Ego dico vobis non jurare omnino &c. non quidem absolute jurare vetuerit, tamen tamquam periculosum sollicitè cavendum voluerit: ne non satis cavendo in perjurium incidatur: quod post SS. Patres sapientissimè expressit Innocentius III. in Cap. Etsi Christus 26. de Jurejurando: Quadam enim prohibentur, ait, quia per se mala sunt, ut furium, adulterium & hujusmodi, quae non sunt aliquatenus faciendae. Quadam vero prohibentur ex causa, non quia per se mala sunt, sed quia, si fiant frequenter & multum, ex his mala sequuntur: ut vinum per se malum non est, & tamen prohibet Apostolus dicens: Nolite inebriari vino, in quo est luxuria, quoniam ex frequenti & immoderata potatione vini luxuria generatur. Sic & juramentum per se quidem malum non est, cum sit confirmatio veritatis, sed tamen prohibetur ex causa, quoniam ex frequenti & incauta juratione perjurium saepe contingit: sicut in Ecclesiastico legitur: Vir multum jurans replebitur iniquitate, & non discedet à domo ejus plaga.

Hinc magna semper fuit tam Ecclesiastici quam Civis Magistratus cura, ne juramenta multiplicarentur, aut ubi multiplicata erant diminuerentur.

Sic in legibus antiquis Visigothorum lib. 2. cap. 22. legitur: Judex ut bene causam cognoscat, primum testes interroget: ac deinde scripturas inquirat, ut veritas possit certius inveniri, ne ad Sacramentum facile veniatur. Hoc enim justitiae potius indagatio vera commendat, ut Scriptura ex omnibus intercurrant, & jurandi necessitas sese omnino suspendat.

Et in Capitularibus Regum Francorum lib. 7. cap. 79. Volumus ut Sacramenta cito non fiant, sed unusquisque judex prius causam veraciter cognoscat, ut eum veritas latere non possit, ne facile ad Sacramenta veniant.

Si hac tam sollicitè etiam in judiciis, ubi est Judex, qui jurantes instruere monere atque etiam terrore potest, jam pridem Principes ob jurisjurandi Religionem atque perjurii pericula decreverunt, quanto magis putamus extrajudicialia haec juramenta à quibuscumque etiam idiotis atque plebeis hominibus passim praestanda praecavissent, ne dicam improbassent? Reipublica Moderatoribus Ecclesiasticis Magistratum jungentes Patres Concilii Colonienfis anno 36. praeriti saeculi de hac juramentorum multiplicatione audiamus: Multiplex illa facilis juramentorum exactio inquit, quae in judiciis Ecclesiasticis sit nobis probari non potest. Christus inter perfectionis hortamenta ponit & illud, ut in totum abstinemus ab omni jurejurando. Quo colore ergo consuetudo nunc passim jurantium in omni negotio excusari possit, non videmus, nisi aut gravitate negotii aut necessitate.

Rationem improbatam multitudinis juramentorum hanc addunt: Crebris juramentis raro deest perjurium quod gravissimè puniunt Deus, Haec parte 13. cap. 13.

Ex parte 3. cap. 20. reflectentes ad multiplicia juramenta in quibusdam Capitulis praestari solita ita loquuntur: Cum Christus tam serio jurandi facultatem prohiberit, ut nisi necessitate veritatis alioqui periclitanda, cogamur, omnino non jurare debeamus. coercenda est illa immoderata in Capitulis juramentorum exactio, per quam necesse est, ut multi in incipitibus perjurii corrumpant, quorum non tantum illi qui pejerant, sed & qui causam perjurii temere exigendo praestant, rei sint.

Haec indubie perjuriorum multiplicatio incrementum capiet, si jurantes lucrum sibi accessurum, aut certe damnum temporale à se averteendum mediante perjurio praevideant. Quam enim ad pejerandum proclives sint homines, dum de lucro capiendo aut damno vitando agitur, etiam ipsos imperatores & jurisconsultos Romanos in densissimis ipsius gentilitatis tenebris novisse non obscurum est ex l. 8. ff. de Conditionibus Instituit. ubi Ulpianus scribit: Quae sub conditione jurisjurandi relinquuntur, à Praetore reprobantur. Providit enim ne is qui sub jurisjurandi conditione quid accepit, aut obtinendo conditionem perderet hereditatem, legatumve, aut cogere turpiter accipiendi conditionem jurare: voluit ergo, eum, cui sub jurisjurandi conditione quid relatum est, ita capere, ut capiunt hi, quibus nulla talis jurisjurandi conditio inferitur.

Deinde Edictum Praetoris probans Ulpianus ait: Et rectè: cum enim faciles sint nonnulli hominù jurandum ad contemptum Religionis, alii per quam timidi metu Divini Numinis usque ad superstitionem, ne vel hi vel illi aut consequerentur aut perderent quod relatum est Praetore consultissimè inter venit.

Quid Principes Christiani senserint, vel ex sola Constitutione in materia praesentem quaestionem propius attingente, qua refertur lib. 2. Capitularium cap. 39. intelligi poterit. Qui decimas post creberrimas monitiones & praedicationes dari neglexerint excommunicentur, inquit, juramento verò eos constringi volumus.

Igitur etiam gravissima poena qualis est excommunicatio, subditos suos ad solvendas decimas à Sacerdotibus constringi permittunt, non tamen juramento, rationem attendamus verbis praecedentibus subjectam: Propter periculum perjurii.

Si hic piissimi illi Principes periculum perjurii in subditis veriti noluerint eos juramento ad solvendas decimas constringi, an non merito Principes nostri juramento de quo quaestio, subditos suos constringi vetabunt propter periculum perjurii?

Num forte credetur, minus proclives futuros ad pejerandum ut se à Gabellis Regi pendendis eximere queant, quam ut se à decimis Ecclesiae solvendis liberent?

Ne quid nostro iudicio conjecturæ aque depromamus, audiamus quid de his crediderit verè magnus & teste Suidà omnium eloquentissimus & in omni doctrina genere summus S. Basilus: tempore quippe illo quidam Collectores Tributorum, spe majoris lucri incitati, homines etiam Rusticos ad juramentum adire coeperunt non secus atque hi, de quibus in casu. Videamus verba dicti sancti: epist. 105. Per omnes usque Synodos & conventus publicos, inquit, contestari non intermitto: per omnes omnino privatos congressus de eadem re discurrere non desisto: juramenta non esse in publicis exactioibus à colonis exigenda per reducores reliquum est de iis & per litteras coram Deo & hominibus protestari, non esse vobis illi institutio infensandum adhuc ulterius, quo mortem animabus inferatis: alias vobis esse invidias excogitandasque rationes exactioibus & nequaquam vulnerandas hominum animas esse. Hac ad te scribo, non in eum finem quod sit opus tibi per me sermone hortatorio (domi enim habes occasiones & argumenta timendi Deum) sed ut omnes illi, qui à te pendunt, per te docti discant, ne sanctum thum ad iram excitent, aut rem interditam per consuetudinem malam in veteratam quasi indifferentem haberi faciant. Neque enim ad res redigendas quae quam illis profuerint juramenta: ac malum manifestatum & in confesso positum exinde hominum animis inuritur. Si enim perjurium parvi semel facere incipiant homines non

non deinceps se ad faciendam solutionem comparabunt, sed juramentum se invenisse rebuntur, fraudis & doli mali instrumentum & ditationis faciendae occasionem. Haec enim Basilus, qui casum propositum tantà vehementiâ, & perspicuitate resolut, ut vel sola tanti Doctoris resolutio pro omni resolutione sufficere deberet.

Et tamen si hac suo tempore Basilus, quid putamus dixisset hac nostra aetate, dum non solum quorundam interpretatione scimus adeo extenuatum illud praecipuum: Cui vectigal, vectigal, cui tributum, tributum; ut pene contra Apostolum persuasum sit, propter timorem non propter conscientiam tributa Regibus esse solvenda, sed etiam ob nimiam nunc multiplicatam juramentorum exactioem & frequentiam, adeo jurisjurandi religio apud multos deperit, ut sine ullo pene examine veritatis, utilitatis vel necessitatis juretur.

Dum insuper tot restrictionibus, aquivocationibus & aliis palliis perjuria à quibusdam occultantur, ut perjurium tantum hominum imperitorum & scrupulorum esse credantur: jamque verius dici queat, quod suo tempore dixit S. Augustinus in libro contra Mendacium cap. 18. Sunt in eis docti qui etiam regulas figant sineque constituant, quando debent, at, quando non debeant pejerari. O ubi estis fontes lacrymarum! Et quid faciemus? Quo ibimus? Ubi nos occultabimus ab ira veritatis si non solum negligimus cavere mendacia, sed audemus insuper docere perjurii?

Dicimus ergo cum Carolo Magno vetante constringi subditos suos ad solvendas decimas mediante juramento propter periculum perjurii; & cum magno Basilio, qui nec publice nec private desuit adversus exactioem juramenti in tributorum solutione intonare, juramenti impositionem de qua in casu; neque incolarum conscientia neque bono publico expedire, sed alias potius invidias excogitandasque rationes exactioem, ne alias patria perjurii impleatur; atque hinc in suis certis & Regnis implere conspiciant Principes comminationem Prophetae Zachariae cap. 5. v. 3. & 4. Haec est maledictio quae egreditur super faciem omnis terrae.... Et veniet.... ad domum jurantis in nomine meo mendaciter, & consumet eam, & ligna ejus, & Lapides ejus. Ita responsum Lovanii hac 22. Octobris anno 1696. Signarunt Doctores Theologiae.

G. HUYGENS S. Theol. Doctor & Prof. HERM. DAMEN S. T. Doctor & Prof. Ord. D. M. HARNEY Facultatis Theol. Doct. Regens. GUILIELMUS RENARDIS, T. D. & Prof. Reg. Et Jurium. J. LISER J. U. Doctor & SS. Can. Prof. Ord. J. HERYS J. U. Doctor & Prof. Reg.

M. STEYART Vic. Ap. S. D. FRANCISCUS MARTIN, S. T. Doctor & Prof. HENRICUS DE CHARNEUX S. T. Doct. & P. R. J. SULLIVANE S. Theol. Doctor & Prof. Regius. A. TONSERN, J. U. Doctor & Prof. Ord. Z. B. VAN ESPEN J. U. Doctor & SS. Can. Prof.

TITULUS V. De Judicibus Ecclesiasticis & Arbitris.

CAPUT I.

De Judice Ordinario & eorum Officialibus.

- 1 Qui apud Romanos dicti Judices Ordinarii?
2 eorum exemplo qui Jure Canonico vocati sunt Ordinarii?
3 definitio Judicis Ordinarii.
4 Non in congruo dicuntur Judices nati.
5 Legati à latere improprie dicti Judices Ordinarii.
6 Jurisdictionis Ordinariae nec auferri nec restringi sine causa & citra juris ordinem potest.
7 Nominè Ordinariorum intelligi solent Episcopi.
8 Episcopus jure suo habet jurisdictionem in tota Diocesi.
9 Habet de jure fundatam intentionem exercende jurisdictionem in omnes personas suae Diocesis.
10 Episcopus retinet jurisdictionem donec plenè probetur exemptio.
11 Episcopus filius habet de jure jurisdictionem generalem per suam Diocesim.
12 Nullus ad exclusionem Episcopi potest jurisdictionem exercere, nisi eam plenè probaverit.
13 Multis saeculis tota auctoritas causas decidendi mansit praesens Episcopi.
14 Episcopi Clerum suum in decidendis causis consulere & adhibere soliti.
15 Causas summarie decidere, aut partes ad concordiam adducere sat agebant.
16 Difficiliores quaestiones ad Synodos deferbantur.
17 Episcopi causas inferioribus Praelatis & Archidiaconis committere coeperunt.
18 Quà ratione Praelati & Archidiaconi sensim facti sunt Judices Ordinarii.
19 Quomodo hac occasione constituti Officiales, jurisdictionis Episcopali praesent?
20 Quo praesens tempore constituti sunt Officiales incertum.
21 Saeculo 12. notus erat usus Officialium in Gallia.
22 Quin & eodem tempore in ministerium illud graves abusus irrepserant.
23 Officialium vitium erat munus acceptio.
24 Episcopi per Officiales lucrum sibi captabant.
25 Exemplo Episcoporum inferiores Praelati etiam Officiales constituere coeperunt.
26 Plures coeperunt Officiales constitui.

- 27 De multitudine Officialium querela Nobilium Regni Galliae.
28 Eadem querela Principum Germaniae.
29 Officialium aviditati forensis litigandi forma, & litium protractio adscribenda videtur.
30 Tempore Petri Blesensis saeculari jure causa agitabantur in foro Ecclesiastico.
31 Querela Principum nostrorum contra excessus Officialium.
32 Ecclesia usum Officialium non reprobat; licet abusus improbet.
33 Tribunal Officialis idem cum tribunali Episcopi; diciturque Ordinatum.
34 Episcopi pro suis Officialibus rationem reddituri attendere sollicitè debent quos constituunt.
35 Officiales constituendi in quibus non est avaritia, & qui strepitus forenses non quaerunt.
36 Qui persequantur vitam, non homines propter bursam.
37 Ne Officiales in decidendis causis carni aut sanguini indulgerent, voluit S. Carolus ut potius ex aliena Diocesi assumerentur.
38 Voluit insuper saepius per Episcopum visitari tribunal Officialis.
39 Voluit ut iustitia gratis omnino administraretur.

I. Am pridem apud Romanos Judices Ordinarii dicti videntur ad distinctionem illorum, qui dantur à Principe extra ordinem, de quibus apud Iulium Paulum lib. 5. Recept. Sent. tit. 5. atque hoc modo Judices Ordinarii recepti apud Ammianum Marcellinum lib. 16. credit Janus à Costa in Commentario ad titulum Decretalium De Officio Judicis Ordinarii. Verba Marcellini sunt: Inter Ordinarios Judices Rufinus primus Praefectus Praetorio; & inter Militares Equitum magister Arbetio. II. Hoc forsitan exemplo contigit, ut & Jure Canonico Judices Ordinarii dicti fuerint ad differentiationem Judicium qui quasi extra ordinem à Pontifice pro quibusdam causis terminandis delegantur; vocanturque Judices Delegati: quae distinctio occurrit in Cap. 5. & 8. De Officio & Potest. Jud. Deleg. ubi aperte Judex Delegatus distinguitur ab Ordinario. III. Itaque

